



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

870. An, si procurator unius ad permutandum consenserit, resignaveritque ex causa permutationis beneficium Principalis, mortuo Principali ante expeditionem literarum cogi possit ad consentiendum, ut ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

*Questio 870. An, si Procurator unius ad permittendum consenserit, resignaveritque ex causa permutationis beneficium sui principalis, mortuo dein principali ante expeditionem literarum, cogi possit ad consentiendum, seu extendendum consensum, ut expediantur literae?*

**R**espondeo affirmativè juxta dicta aliàs de Procuratore ad resignandum. Chok. de permut. p. 3. c. 25. n. 3. dicens, sic resolvisse Rotam apud Casador. decis. 1. de renunc. eò quòd, licet voluntas & mandatum morte finiat, actus tamen permutationis jam tum erat perfectus, & consensus subsequens Procuratoris pro expeditione literarum non fit nisi executio ad actum perfectum.

*Questio 871. Si permutatio declaratur invalida, vel aliàs non sortiatur effectum, an, & qualiter permutantes redire possint ad beneficia sua?*

**R**espondeo primò: Dum permutatio non habuit effectum, posse permutantes redire ad sua beneficia sine nova collatione, absolute pronunciant Jo. And. & Franc. in c. unic. de rer. permut. in 6. Federic. de Senis. de permut. q. 8. Roffiniac. de benef. c. 38. Duaren. l. 8. c. 3. Paris. de resig. l. 1. q. 14. n. 12. juncto. n. 6. Less. l. 2. c. 34. n. 195. aliisque apud Garc. p. 11. c. 4. n. 6. qui etiam n. 8. recitat pro hac sententia claram decisionem Rotæ in Barcimon. Paroch. 10. Decemb. 1601. imple tamen n. 7. ait, eorum opinionem procedere tantum in permutatione facta coram Papa, & nisi culpâ permutantis permutatio non habuerit effectum. Sic dum permutatio est nulla citra permutantium culpam, & hinc non sortitur effectum, posse permutantes redire ad sua beneficia, pronunciat simpliciter. Chok. de permut. p. 3. c. 28. n. 7. citans Gemin. cons. 45. in fine. Tusch. fo. 6. Pract. Conclus. juris. Conclus. 306. n. 6. Sic expressè tenet Azor. p. 2. l. 7. c. 19. q. 21. §. altera. & quidem licitum esse permutanti propriâ auctoritate redire ad beneficium, quandocumque permutationis effectus sine ipsius culpa non est subsecutus. Qui tamen addit, necesse esse, ut Superior declaret, talem, qui resignavit permutationis gratiâ, permutatione non sortitâ effectum citra ejus culpam, posse ad suum beneficium redire, adeoque non requiri auctoritatem Superioris de novo conferentis, sed declarantis, posse eum redire. Quod idem posterius, nempe saltem opus esse hac declaratione Superioris, qui det utrique licentiam ad suum beneficium regrediendi, absque alia collatione, seu concessione Executoris super reductione in pristinam possessionem, & talis licentia seu declaratio habeatur pro nova collatione, voluit Staphil. de lit. grat. tit. de var. mod. vac. §. 1. nu. 14. Lampagnia. in repetit. cap. unic. de rer. permut. in 6. q. 7. & Aufser. ad decis. Capell. Tholos. 260. Redoan. de simon. p. 2. c. 10. n. 28. apud Chok. p. 3. c. 9. n. 2. & sic praticari in Gallia scribit Paponz. l. 2. arresto. tit. 7. arrest. 2. Hanc sententiam, nimirum posse in hoc casu non effectuatâ permutationis, aut etiam declaratâ nullâ citra permutantium culpam redire ad beneficia permutata, sine nova collatione, solâ dictâ declaratione, summam habere aequitatem pronunciat loc. cit. Chok. etsi præmississet, illam, quæ dicit, opus esse in hoc casu novâ collatione; eò quòd

resignatio ex causa permutationis veram vacationem, & consequenter primi tituli veram, & totalem extinctionem inducat, esse verioris & tutioris. Tenent eandem præter jam citatos expressè Ventrigl. to. 2. annot. 4. §. 2. n. 36. Lott. l. 2. q. 14. nu. 90. ubi etiam ipsam sententiam declaratoriam super nullitate permutationis implicare licentiam illam Superioris, quòd liceat permutantibus regredi ad beneficia permutata, & hic titulus resultans ex ipsa hac sententia declaratoria nullitatis sit sufficiens absque alio titulo collativo. Loquitur autem de permutatione non ipso jure nulla, sed quæ venit annullanda; eò quòd permutantes, quia ignorarunt, beneficia permutanda esse jurisprætonatâ, consensum Patroni non requisiverunt citra omnem injuriam Patrono irrogatam.

2. Fundatur hæc sententia æquior in eo, quòd permutatio, seu resignatio permutationis gratiâ non aliter intelligatur facta, quàm sub conditione, si alteri permutantium beneficium acquiratur, seu, si permutatio utrimque habuerit suum effectum, adeoque ea conditione non impletâ, seu non securo hoc effectu, jus non abdicat, sed retinere velit resignans, non secus ac in alia resignatione in favorem. Chok. Azor ll. cit. Garc. loc. cit. nu. 9. id admittens de permutatione facta coram Papa; addensque, id in resignationibus hujusmodi in favorem magis de stylo & æquitate obtinere, quàm de rigore juris; eò quòd hujusmodi conditio magis resolutiva, quàm suspensiva videatur. Sic etiam, licet ex permutatione deur nova vacatio, ea tamen vacatione declaratâ nullâ (uti contingit, dum permutatio declaratur nulla) consequitur, etiam per eam jus nullum fuisse abdicatum. Lott. loc. cit. n. 88. & 89. Unde jam, si postquam unus permutationis causâ resignavit, alter permutantium permutationem implere nequeat, quia v. g. diem suum obiisset, vel permutationem perficere recusaret, aut nequiret, puta, quia ejus beneficium evictum, reservatum, unitum alteri esset, possit primus (cui nulla adscribi potest culpa, vel impedimenti scientia) dicto modo ad beneficium suum redire. Azor loc. cit. Sic, si illegitimus dispensatus ad curatum beneficium, eo obtento in vim dispensationis permutet illud cum alio curato alterius legitimi, credens, sibi licere in vim semel habitæ dispensationis, adeoque non valeat collatio secundi curati ei facta ex causa permutationis, uterque ad renunciata poterit redire. Legitimus quidem ob probabilem ignorantiam facti, illegitimus ob probabilem ignorantiam juris. Chok. de permut. p. 3. c. 9. n. 10. Sic, si quis permutavit beneficium cum duobus compatilibus, & unum eorum tanquam reservatum, aut aliàs obnoxium tertio alicui evincatur, poterit habere regressum ad suum primum beneficium, interveniente dicto modo auctoritate Superioris. Chok. cit. c. 9. num. 6. Idque, etiam si beneficium illius alteri compermutanti jam collatum esset, Argumento c. si beneficium, de præb. in 6. (dico, argumento hujus capituli; hoc enim de cetero non loquitur de resignatione expressâ, cujusmodi est illa, quæ fit permutationis gratiâ, ut Chok. loc. cit. n. 7.) ubi statuit Papa, ut, qui beneficium reservatum, vel collatum à Sede Apostolica obtinuit ab Ordinario, & illud simul, ac de reservatione vel collatione illa Apostolica cognoverit, dimisit, possit, non obstante acceptance illâ illius reservari facta ex ignorantia, pœnitere eum effectu; cum sic penam non